

## *Devotio* of Decius Mus (340 B.C.) (8.9-10)

The *devotio* of Decimus Mus is a famous instance of Roman expiatory sacrifice (*unus pro omnibus*) whereby a commander of a Roman army devoted both himself and the opposing enemy forces to the gods of the Underworld in return for Roman victory. Decimus was consul with Manlius Torquatus in 340 B.C. in the Latin War and “devoted” himself near Mt. Vesuvius in order to achieve victory. After appropriate ritual, Decimus charged the enemy army, carrying panic and fear among it, and led it down to the Underworld. The Roman commander was not expected to survive and special rituals were performed in the event he did. Similar *devotiones* are recorded by Decius’ son at the Battle of Sentinum in 295 and by another Decius (grandson?) at the Battle of Ausculum in 279.

1 [9] Romani consules, priusquam educerent in aciem, immolaverunt. Decio  
2 caput iocineris a familiari parte caesum haruspex dicitur ostendisse: alioqui  
3 acceptam dis hostiam esse; Manlium egregie litasse. “Atqui bene habet”  
4 inquit Decius, “si ab collega litatum est.”

5 Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus processere in aciem; Manlius  
6 dextro, Decius laevo cornu praeerat. Primo utrimque aequis viribus, eodem  
7 ardore animorum gerebatur res; deinde ab laevo cornu hastati Romani, non  
8 ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. In hac  
9 trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat: “Deorum”  
10 inquit, “ope, M. Valeri, opus est; agedum, pontifex publicus populi Romani,  
11 praei verba quibus me pro legionibus devoveam.” Pontifex eum togam  
12 praetextam sumere iussit et velato capite, manu subter togam ad mentum  
13 exserta, super telum subiectum pedibus stantem sic dicere: “Iane, Iuppiter,  
14 Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novensiles, Di Indigetes, Divi,  
15 quorum est potestas nostrorum hostiumque, Dique Manes, vos precor  
16 veneror, veniam peto feroque, uti populo Romano Quiritium vim victoriam  
17 prosperetis hostesque populi Romani Quiritium terrore formidine morteque  
18 adficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro re publica [populi Romani]  
19 Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones

20 auxiliaque hostium mecum Deis Manibus Tellurique devoveo.”

21 Haec ita precatus lictores ire ad T. Manlium iubet matureque collegae se  
22 devotum pro exercitu nuntiare; ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in  
23 equum insiluit ac se in medios hostes immisit, conspectus ab utraque acie,  
24 aliquanto augustior humano visu, sicut caelo missus piaculum omnis deorum  
25 irae qui pestem ab suis aversam in hostes ferret. Ita omnis terror pavorque  
26 cum illo latus signa primo Latinorum turbavit, deinde in totam penitus aciem  
27 pervasit. Evidentissimum id fuit quod, quacumque equo invectus est, ibi  
28 haud secus quam pestifero sidere icti pavebant; ubi vero corruit obrutus telis,  
29 inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum fugam ac vastitatem  
30 late fecerunt. Simul et Romani exsolutis religione animis, velut tum primum  
31 signo dato coorti pugnam integram ediderunt; nam et rorarii procurrerant  
32 inter antepilanos addiderantque vires hastatis ac principibus et triarii genu  
33 dextro innixi nutum consulis ad consurgendum expectabant.

34 [10] Procedente deinde certamine cum aliis partibus multitudo superaret  
35 Latinorum, Manlius consul audito eventu collegae, cum, ut ius fasque erat,  
36 lacrimis non minus quam laudibus debitis prosecutus tam memorabilem  
37 mortem esset, paulisper addubitavit an consurgendi iam triariis tempus esset;  
38 deinde melius ratus integros eos ad ultimum discrimen servari, accensos ab  
39 novissima acie ante signa procedere iubet. Qui ubi subiere, extemplo Latini,  
40 tamquam idem adversarii fecissent, triarios suos excitaverunt; qui  
41 aliquamdiu pugna atroci cum et semet ipsi fatigassent et hastas aut  
42 praefregissent aut hebetassent, pellerent [vi] tamen hostem, debellatum iam  
43 rati perventumque ad extremam aciem, tum consul triariis: “Consurgite  
44 nunc” inquit, “integri adversus fessos, memores patriae parentumque et

45 coniugum ac liberorum, memores consulis pro vestra victoria morte  
46 occubantis”. Ubi triarii consurrexerunt integri refulgentibus armis, nova ex  
47 improvise exorta acies, receptis in intervalla ordinum antepilanis, clamore  
48 sublato principia Latinorum perturbant hastisque ora fodientes primo robore  
49 virorum caeso per alios manipulos velut inermes prope intacti evasere  
50 tantaque caede perrupere cuneos ut vix quartam partem relinquerent  
51 hostium. Samnites quoque sub radicibus montis procul instructi praebuere  
52 terrorem Latinis.

53 Ceterum inter omnes cives sociosque praecipua laus eius belli penes  
54 consules fuit, quorum alter omnes minas periculaque ab deis superis  
55 inferisque in se unum vertit, alter ea virtute eoque consilio in proelio fuit ut  
56 facile convenerit inter Romanos Latinosque, qui eius pugnae memoriam  
57 posteris tradiderunt, utrius partis T. Manlius dux fuisset, eius futuram haud  
58 dubie fuisse victoriam.

59 Latini ex fuga se Minturnas contulerunt. Castra secundum proelium capta  
60 multique mortales ibi vivi oppressi, maxime Campani. Decii corpus ne eo  
61 die inveniretur, nox quaerentes oppressit; postero die inventum inter  
62 maximum hostium stragem, coopertum telis, funusque ei par morti  
63 celebrante collega factum est.

64 Illud adiciendum videtur, licere consuli dictatorique et praetori, cum  
65 legiones hostium devoveat, non utique se sed quem velit ex legione Romana  
66 scripta civem devovere; si is homo qui devotus est moritur, probe factum  
67 videri; ni moritur, tum signum septem pedes altum aut maius in terram  
68 defodi et piaculum caedi; ubi illud signum defossum erit, eo magistratum

69 Romanum escendere fas non esse. Sin autem sese devovere volet, sicuti  
70 Decius devovit, ni moritur, neque suum neque publicum divinum pure faciet,  
71 sive hostia sive quo alio volet. Qui sese devoverit, Volcano arma sive cui alii  
72 divo vovere volet ius est. Telo, super quod stans consul precatus est, hostem  
73 potiri fas non est; si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri.

74 [11] Haec, etsi omnis divini humanique moris memoria abolevit nova  
75 peregrinaque omnia priscis ac patriis praeferendo, haud ab re duxi verbis  
76 quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre.